QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS EXAGITANDA IN SCHOlis Medicorum die Iouis 12. Februarij Clarissimo viro M. Petro Pijart Doctore Medico moderatore prudentissimo.

Estne dysenteria ab atra bile omnium maximè lethalis?

NATVRALIS *facultas sine qua nullum animal ne momento quidem durare potest, vt cæteris prior, sic præstantior semper habita Procreatricem, quæ ex semine fæcundo multo spiritu & calore turgente nouam gignit substantiam, Auctricem, in humidioribus naturis magis conspicuam solidarum, corporis partium secundum formam omnimoda extensione finitam, Nutricem, quâ triplex ab ambiente & natiuo calore continenter dissipata substantia cibo, potu & aëre reparatur, continet. Quarum duæ sua habent fixa ratáque tempora, Nutrix sola attractricis, retentricis, concoctricis, & expultricis famulitio adiuta, ad vltimum vitæ vsque diem constanter producitur.*

VT *ergo vitalis in corde, animalis in cerebro, sic naturalis suum habet in hepate fundamentum. Hoc vbi propriam naturam seruat infinita exhibet corpori commoda, sui muneris immemor, plurimorum contra naturam affectuum autor fautórque perpetuus habetur. Hinc sequitur omnigena partium quibus constat* δυσκρασία, *contrariorum vsu ad* κρᾶσιν *reuocanda, tùm* μαρασμὸς πνεύμονος, *humidi primigenij nullo ingenio reparabilis consumptione, lethalis: à quo* ἀσκίτης *funestus, qui sine hepatis vitio subortus, hydragogis potiùs quàm phlebotomia curatur: quinetiam eius actionem intercipit* ἀτονία, ἔμφραξις, *nuptis non adeò ac virginibus frequens, oppilatio, cuius quàm illius dolor grauior superueniente febre facilè soluitur.*

IDEM *viscus inflammatio quoque obsidet (à qua ne exangues, minus carnosæ partes immunes sunt) Ea si gibbam partem occuparit, hæmorrhagia* κατ᾽ ἔξιν *facta, vrinis, sudoribus: sin cauam, deiectionibus naturæ benignitate soluitur: hæ si pigro lapsu per intestina ferãtur colicos dolores, voluulũ, in intestinis tenuibus crudele malum, crudelius cum ad stercoris vomitum ventum est, vermes omnis generis: si veloci, fluorem synteclicũ tabidis malum diarrhœam vomitu spontino superueniente salutarem, tenesmum recto intestino peculiarem, lienteriam acido ructu non perpetuo bonam, dysenteriã denique excitant. Horum in sese facilis est* μετάπτωσις *peripneumoniæ in* χολὴν*, aut pleuritidem nulla.*

DYSENTERIA *(quâ nec cruentam, hepaticam, aut lienarem comprehendimus) morbus est acutus, attamen longus, frequentissimus, plerumque epidemius, æstati & autumno magis quàm cæteris tempestatibus, omníque ætati familiaris, pueris tamen & senibus periculosior, cum febre, plerumque sine ea toti intestinorum compagi (vno excepto) proprius, ab eorundem vlcere contractus. Eius magnitudinem designant diuersi excremẽtorum gradus, quæ si adiposa fuerint, ramentosa, aut è propria ipsorum substantia mala: sed hanc quàm illa excerni peius, à tenuibus præsertim, quæ discissa, vt ossa, non coalescunt. Cacoethiam verò pituita salsa, bilis flaua, vitellina, porracea, æruginosa, atra, in intestinis genita, aut è venis, iecore, ventriculo, mesenterio, liene, cerebro, vnde dysenteria maniæ solutio, in ipsa deriuata.*

VT *dysenteriæ prognosin sic eiusdem curationem multa variant; affecta sedes, si superiora aut inferiora intestina obsessa teneantur, hæc iniectis illa sumptis remediis curãda: symptomata aucta aut imminuta, cibi fastidiũ, nausea, vomitus, qui si biliosus initio, malus, vigiliæ, febris; humoris vitiosi conditio, pituita salsa, bilis flaua, vitellina, porracea, æruginosa minus sæuam: atra bilis sæuissimam facit dysenteriam. Prioris (nulla enim intempestiuè supprimenda) phlegmagogis, alterius cholagogis tentanda curatio: omnibus communis venæ sectio. Interim enemata detergentia, lenientia, adstringentia sunt iniicienda, quandoque narcoticis vtendum. Verum vbi atra bilis tam altas illic radices egerit, vt iam vlcus* χειρωνῶδες *effectum fuerit nullus remediorum locus, sed de ægri salute quamprimùm desperandum.*

Ergô dysenteria ab atra bile est omnium maximè lethalis.

Proponebat ROBERTVS le SECQ. Parisinus anno 1598.

